

R. K. 356, 17.

X 19 040 87

II^s
175

SCHEDIASMA
IN
LAUDEM
VIOLAE

PURPUREO-COERULEAE
DEPROBRATUM,

QVO
AD ACTUM

THILONIANUM V.

ETHOPOEIAS ATQVE
ECPHRASES

EXHIBITURUM

PLURIMUM VENERANDOS

DNN. INSPECTORES,

PATRONOS ITEM AC FAU-

TORES STUDIORUM NO-
STRO RUM O,

MNEIS

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA
INVITAT

M. JOHANNES FRIDERIGUS Röber /
CON-RECTOR.

GERAE,

TYPIS KÜCHLERIANIS.





Vandoquidem nunc mitior iterum
coeli indulgentia terras hasce nostras
excipere, cumq; humô aër, & hæc cum
pratis, rure ac hortis, nec non hi ipsi cum
oculis hominum in gratiam quasi redire,
benignissimô Dei arbitrio, incipiant; in-
dignissimi certè tantô munere essemus,
nisi idem & gratisimâ agnosceremus
mente, & debitô verborum praeconiô,
nec minori alacritate gaudiorum excipe-
remus. Quantô n. majori desiderio expetebantur hæcenus
floripari Veris, ut appellatur Ausonio, (α) delitiae, cum brumali fri-
gore coelum pariter ac tellus torpore insolitô diutius paullô involvi,
nobisq; τριπύθατον εἶαε (β) invidere quodam modô viderentur:
tantô hilariori vultu salutandus, qui depulsâ hiemis tempestate
nunc demum in tepefecit, annus est. Rhodios memorat
Athenæus, (γ) Graecorum ille Varro aut Plinius, tan-
tam ex hirundinum reditu cepisse laetitiae voluptatem, ut simul
ac vilus erat exoptatissimus quidam ἀγγελοῦ εἶαε (δ) continuo
pueros, quasi stipem pro hospite reversô mendicatuos, ostiatim ca-
nere juberent carmen, quô & salvam incolamemq; remeâsse avem,
gaudebant, & bonum inde temporis boni, annorûq; faustissimâ lor-
te secutororum captabant omen. Pro eâ nimirum, quâ pollebant,
perspicacitate intelligebant viri sagacissimi, nec sine felici acclama-
tione, publica q; congratulatione suscipiendam esse aviculam, lae-
tissimi temporis nunciam, & laetitia, sibi poscere maximas, ac tan-
tum non laudes divinas tempus illud vernum, quô, Poëtâ (ε) canente

-- -- -- Terra decore resumitô,

Floribus, & viridi juvenescere gramine gaudet.

Quod si n. illae tempestates anni, quae fruges ad maturitatem per-
du-

ducunt, &, cornu quasi Amaltheae benigniter effusio, omnis generis fructus largissime suppeditant, avidissime à nobis expectantur, ac labore indefessio transmittuntur; quidni magni pendamus id temporis, quo arva ubique sinus laxant, quo semina poscunt genitalia, quo arbores aequè ac herbae in florem se induere, spemque adeo futurae utilitatis non poenitentiam polliceri satagunt. Etenim ver nisi praeserit, spemque messis & pomorum fecerit, nemo sibi facile aestatis atque autumnis fecunditatem & emolumenta polliceri habebit. Caeterum nemo tam infructuae indolis, nemo tam impiae mentis fuerit, quem non temporis, quod nobis Dei misericordia indulget iterum, contemplatio extra se raptum, si modo rem omnem paulo penitus introspexerit, sursum & mente & oculis trahat, ac, unde tanta bona originem arcesunt, in Numinis aeterni considerationem pelliciat. Nec enim tam levis in mundo cespes est, nec tam exiguus in terram flosculus, quin pretius, Deum esse, sapientiamque ac potestate omnem creaturae vim & potentiam superare, non obscuris pignoribus loquatur. Et quamquam mundi pictor, quo pulcherrimo sane schemate ver appellavit Poëtarum (ζ) non nemo, nondum adhuc tot flosculis telluris gremium exornavit, ut, verbis Plinii, (η) variis colorum picturis in certamen usque luxurient: non desunt tamen florulentae violarum purpurae, (θ) quibus superbire nunc annum, & fronte exporrecta vehementer laetari videmus. Manu igitur nunc veris ac Florae candidatum, Violam nempe subnigram, sive cum coeruleo purpurascentem carpamus, & mente paulum curiosiori paulisper, & quoad ejus fieri potest, perlustremus. Quamvis enim viola nec liliorum altitudinem ac nivem, nec rosarum quantitatem ac sanguinem adaequet, sed utrisque & minor sit & humilior, non tamen operae nos perdituros pretium putamus, si pervidere ejus cultum, & penitus cognoscere formam, pigmenta & fragrantiam hanc descriptione publicam conemur. Non igitur Io in vaccam conversae pabulum produxit hunc florem Jupiter commentitius, (ι) unde nomen violae factum, augurantur nonnulli, sed is, qui veri Numinis censendus nomine est, vi seminali, in primam creatione telluri impressa, eandem quotannis efflorescere jubet, luculentissimum providentiae ac bonitatis suae testem. Ut adeo nec florum alius, nec animantium quisquam, in o nec hominum ullus habeat, cur sublimiore hinc ambitiose jactitet praestant-

stantiã. Etenim à Deo & singula rerum originem trahunt, & ipse
homo, ceu Scripturae oracula canunt, perinde ut flos agri, Dei inex-
haustã bonitate exoritur, fataliq; tandem hora, si iubeat ite, in ter-
ram, unde primùm emerfit, flosculi ad instar abit. Deinde si cum
præstantissimis censûs sui ac ordinis rebus comparari posse, nec in-
talismodi collatione penitus evilescere, haut postrema laus est; ne-
scio propemodum, quem ex nitidissimò florum chorò violae nostrae
parem ponere liceat aut aequalem. Ipse utiq; diligentissimus natu-
rae consultus, Plinius (κ) violis honorem à rosis liliisq; proximum
vendicare non veretur. Et iterum fatetur, (λ) Romanorum prisco-
ribus præter violas rosasq; penè nulla hortensium coronamentorũ
genera fuisse nota. Ex recentioribus Joh. Jovianus Pontanus, Poëta
(μ) non inelegantis genii, delitiis nostris, quarum laudes nunc perse-
quimur, tus, nardum ac Arabum myrrham, non immeritò postha-
bet. Et cum isto ejusdem vir Musae, Bisfelius (ν) audacter adierit,
qui dixerit violas, eum dicere omnia

Cinnama, & Arabiis balsama mesfa jugis.

Id quod indicio satis est, quanti non antiquissimis tantum tempori-
bus, sed & nuperrimis inter flores habitae sint (vavissimae nostrae
violae. Quam ipsarum dignitatem non parum adauget, quòd Du-
daim Mosaicae, quas Apellarum multi (ξ) violas esse opinantur, id à
sanctissimò conjugum pari impetraverunt, quòd nec flores alii tri-
buere sibi jure, nec aurea Jovis pluvia efficere semper queat. Ut ta-
ceam insignem floris nostri præstantiam, quae inde fortitur, quòd
omnium primus ver nunciat, ac τὴν τῆς ὄρας λαμπερότητα primitiis
quasi suis consecrat. Quòd si igitur in magnã felicitatis parte numera-
tur, tempore aliis atq; aetate antistare, quidam vel hoc nomine violas
nostras plerisq; florum praevalere, ac palmam si non praeripere, du-
biam tamen reddere censeamus? Quò accedit tandem, quòd La-
res paterni, quin ipse Deorum maximus, ceu gentilia n coeco er-
rori videbatur, Jupiter, fertis plerumq; violaceis redimiti caput, ad-
eod; metallorum nobilissimo ipsi, auro, cujus honor idola potissi-
mum decebat, verni flores nostri aequiparati fuerint; quòd ex Juve-
nale (θ) aliisq; nullo propè negotio probatum dare possemus, nisi
ejusmodi haec res foret, quivis ut eam perspicere queat facile. Ec-
quom igitur mihi florem laudas? dicat hic aliquis: sanam nam, ejus e-
nar.

narrasti praestantiam; ut igitur eundem praeter oculos expositum paullo propius speculer, de manu, quod ajunt, in manum tradi violam mihi velim, & à te per partes singulas breviter describi. Quin imò in tui gratiam, quisquis es, hoc & omne libenter à me militabitur bellum: Describam hunc florem, & quidem, ne ex musca videar elephantum, aut ex violâ centum foliorum rosam efficere, paucis. Et quoniam flos tantum jucundus est, reliquae partes ignavae, in viola pariter & rosa, (π) idèò meliorem duntaxat ejus partem, petiolo exteriori protuberantem mihi vide. Adspice fides, curiose oculus, defigere paululum in cultum ejus & formam. En purpuram coeruleo temperatam colore, posticâ sui parte vaginulâ, quae connexa pediculo est, usq; ad medietatem (genium Ciceronis (ρ) ignoscat voci) inclusa. Sed nec calcar, quod hîc cernis, peregrinanti insuper habe oculo. Eò n. suam, quâ gaudet, nobilitatem, ostendere, & infimul Trofulorum istorum, qui calcaribus, nescio quibus, heroas se Martios, & ut Plautino (σ) verbo dicamus, urbicapos Menelaos videri volunt, insaniae potest illudere. Porrò oculus animumq; quaeso, refer ad foliolorum, quibus flosculus noster constat, numerum, & ecce quinariis is est, exactè medius inter usitatas novem notas. Unde id genus numeri variis Pythagoraei (τ) appellationibus insigniebant, praeter $\gamma\acute{\alpha}\mu\omicron\nu$, $\alpha\phi\epsilon\rho\delta\iota\tau\eta\nu$, $\gamma\mu\mu\eta\lambda\iota\omicron\nu$ eundem quoq; $\delta\iota\kappa\alpha\omicron\sigma\acute{\upsilon}\nu\iota\omega$, $\nu\acute{\epsilon}\mu\omicron\sigma\iota\nu$ ac $\delta\iota\kappa\lambda\iota\omega$ sapientissimo instituto vocantes. Velut n. trutinæ cujuslibet examen, quò de ponderibus & ad pondus appensis rebus judicium fieri solet, ipsum jugi medium occupat, & inter numeros quinario respondet: ad eundem propè modum inter duo injustitiae extrema media incedit justitia, & quicquid hinc vel excedit vel deficit, accuratissimè indicat. Adeò virtus divina impare hoc gaudet numero, suiq; memoriam violae adspectu in mentem revocat cuivis. Veràm externâ perlustratâ violae facie, nunc interiora ejus paululum introspiciamus. Ecquis v. & qualis iste in medio apex est? quàm flavus, ac tantum non aureus se ingerit visui? quàm eleganter circumcirca albedo quaedam, purpuram interstingens, & per fibras infimi folioli $\alpha\mu\omicron\iota\theta\alpha\lambda\omega\varsigma$ se insinuans, hunc cingit? Nescio profecto, quâ fieri potuisset, ut in violâ nostrâ praestantiores, ac magis coelestes unâ concurrere, & unanimiter conspirare potuissent colores, quàm isti. Pars intima conspicitur flava & à colore aureo propè admodum abest: quid igitur flore nostro praestantius?

Rus.

Purpurâ se induit regum ad instar, quibus ostro quondam solis ornari licuit: quid ergo eodem nobilior? Purpurae miscet eum praecipue colorem, quem coeli laquearia, ubi serenum maxime, & ut ita dicam, festum agere diem volunt, prae se ferre, mundoque inferiori ostendere videntur: quid itaque eodem ipso sublimior? Mirum certe non foret, si quispiam, ut tam elegantes, tamque suaves omnino pervidere posset colores, exoptaret Argi ad instar centum luminibus cingi caput suum, aut & totus cum Catullo nasus fieri, ut voluptate, quam species & odor violae abrosiae subministrat, usque in penitus sensus penetralibus, frueretur. Nec enim ut recte Philosophorum filii perhibent, quantitatis vim ullam & efficaciam esse, vel ipse flos noster luculentissime comprobat. Hic enim florum prope minimus eos exhalat de se odores, qui vix à multo majoribus, à longè multis etiam nullatenus expectari possunt. Quò fit, ut, si nomini omen aliquod inesse velim, non incongruè id à vi olendi, sequestratis aliorum derivationibus, ortum accepisse, cum nihil prohibeat, dicamus. Et quid illud, annon quantivis est, quod supra laudatus Bisselius, *ψευδανύμω* societatis Jesu Sacerdos, violarum odore se febricitantem immane quantum fuisse recreatum praedicat (v)? Et licet Poëta sit, cujus haec confessio adducitur; quid tamen inde colligendum putemus? Num ita se rem habere hautquaquam, nec vero id simile esse, quicquid entheae Musarum soboles cecinit? Absit, Poëtas omnes & ubique mendaciorum reos peragamus. Quin potius, etsi, quod adhuc majus est, violarum halitibus febrim sibi depulsam ipse gloriatur Poëta, non tamen veritatem planè deseruisse, & in alia abiisse omnia dicendus esset. Nec enim inauditum omnino est, suavioribus rebus objectis moveri sensus, immutari corpus, affici ipsam animam, Nec dubitandum, quin, quod Belgii sui decus de cunctis floribus ait, (Φ) ad nostras quoque violas vel maxime pertineat, quòd nimirum iis pars quaedam aurae aetherae coelitus infusa videatur. Id quod Poëtarum forte vetustioribus, de quibus certum est, quòd res cum morales, tum Physicas figmentorum involucri tegere in usum positum habuerint, occasionem dedit comminiscendi; è succo aut sanguine immortalium Deorum flores plerosque omnes primum fuisse profatos. Ite igitur, ite omnes Arabum odores, ite Sabaeae Messes: nautea mihi estis & nausea prae halitu violarum ingenuò & verè coelesti. Neque enim

odo-

odore solum olfacientibus fragrantissimo se commendat viola nostra, flos verè eximius, et, supra, quàm dici potest, laudandus, sed & quod *οἱ πάντες τῶν παίδων* norunt, ad medicamenta, quibus vehementia mali ac aestus frangi potest, calorq; nimius imminui, apprimè conducit. Quod n. non tam secundus, quàm alter Hippocrates, Daniel Sennertus (*χ*) docet, violae frigidae sunt in primo, & humidae ad secundum. Unde succus earum, & paratus inde Syrupus calorem mitigat, restingvit aestum, ac pectori praecipuè utilis est. O igitur violas ut veris, ita hominum verè praestantes delicias! O gemmulas herbarum nitidissimas! O mulsam, nectar & ambrosiam reducis Florae! Verùm n. verò, manū de violis, ne, si diutius paullo atterantur, fragrantia quadantenus deperditā, graveolentiam contrahant, taediumq; naribus delicatis creent. Quod igitur temporis & chartae penuria nunc prohibet, id ut, alia sicubi dabitur occasio, à nobis tum in laudem violae, tum in gratiam juventutis scholasticae addatur, sedulo dabimus operam. Nunc n. deniq; ad ascetas nostros Progymnasticos absq; ambage properandum est. Juxta Thilonis igitur *χρηστικὰς* I. ETHOPOEIAM tractabunt THOMAS Benda, Kemniziensis Bohemus, & JOH. PHILIPP. Seseman/ Numburg. hic quidem Deiparae virginis ad cunas Dei-Hominis sedentis, ille v. divitis epulonis in acerrimis inferni tormentis constituti. II. ECPHRASIN, seu descriptionē Alexandri Magni JOH. CASPARUS Zopff/ Geran. Tēporisq; tandem aestivi HEINRICUS CHRISTIANUS Schröter/ Greizensis, pro virili quisq; proponet. A vestigiis Thilonianis vel latū discedere ungvē, nefas duximus: alioqui materiae sanctissimo huic tempori, in quò *οὐκ ἀγνοῦντες* nunc vivimus, magis aptae & congruae potuissent tradi. Vos igitur, PLURIMUM VENERANDI DOMINI INSPECTORES, VOS ETIAM, PATRONI, FAUCTORES ET AMICI STUDIORUM NOSTRORUM MAXIMI, OPTIMI, eā, quā licet, animi submissione, observantia & adfectu vehementer rogo, velitis craftinā, quā feliciter Vobis Vestrisq; omnibus illucescere sinat Deus, luce sub ipsum H. II. pomeridianae auspiciū benevolentissimi in auditorio majori adesse, nobisq; ac nostris, quod tenus hāc fecistis, ex veteri formulā, animis pariter & lingvis favere. Nihil prius nobis erit aut antiquius unquam, quā ut prolixissimum isthunc amorem vestrum gratisimo semper corde, & ad serviendum

Vo-

9x 11a
175

Vobis promptissimò foveamus. P. P. Geræ IV. Eid. April. A. O. R.
cl^o l^oc LXVII.

NUMERORUM EVOLUTIO.

(α) in Monof. v. 94. (β) Bion Eidyl. 6. v. 19. (γ) lib VIII. f. 360. & ex ed Pon-
tanus in Bell. Atticis parte II. p. m. 150. quem locum debeo Philosopho Lipsiensi
facile accuratissimo, JACOBO THOMASIO. (δ) ita hirundo Simonidi vocatur
apud Schol. Aristophanis. Vid. Viri laudatissimi disp. de hibern. hirund. Ann. 1658.
habita S. 49. de carmine v. Rhodiorum S. 68. (ε) Güntherg l. VI. v. 484. (ζ) Conf.
Taubm. comment. in Cul. Virg. p. m. 53. B. 2. (η) N. H. XVI. 25. p. m. 715. ed. Dale-
champiana. (θ) ita ferme loquitur per vigil. Ven. editum à Lipsiò in Elect. 1. 5. (ι)
v. Hort. Philos. Mylii p. 442. & Paub. Hist. Plant. Univ. XXXII. 2. p. 542. (κ)
N. H. XXI. 6. (λ) l. 6. cap. 3. (μ) part. 2. Carm. p. m. 775. (ν) in delitiis Veris eleg.
20. p. 75. (ξ) Buxt. Lex. Ebr. p. m. 132. (ο) sat. 12. lib. IV. v. 89. (π) lib. 6.
Plin. c. 7. (ρ) v. For. Rom. in voce medietas (σ) in Mil. glor. VI. 2. v. 64. (τ) Brod.
Miscell. lib. 5. c. 16. (υ) l. 6. (φ) lib. de Const. II. 2. (χ) Inst. Med. lib. V. part. 1.
cap. 11. p. m. 842.



Q.K. 356, 17.

V^L
PUR
THIL
ET
PLUR
DNN.
PATRO
TORE

EA, Q
M. JOHAN

TY

ES,
U.

öber /

